

in Christo sunt vnitae vnione hypostatica, nec diuina tantum fuit socia et auxiliatrix separabilis vt in Elia et aliis sanctis, sicut perperam docuit Nestorius, qui et nepos fuit Samosatani et furores etiam illius callide renouauit.³³ Interea tamen nec naturarum facta est confusio, nec vna in alteram absorpta, 5
absumpta vel conuersa, vt finxit Eutyches.³⁴ Ideo discrimen proprietatum retinendum est. Et vera est regula: „Confundens proprietates confundit naturas.“ Ideo phrases diuinae vocis diligenter considerandae et vsurpandae sunt: „Christus passus est in carne“³⁵ inquit Petrus, „Aspicient in me, quem confixerunt“³⁶, „Ego sum ante Abraham natum“³⁷, „Christus est natus ex stirpe 10
Dauidis secundum carnem.“³⁸ Has locutiones, cum imitari vellet ecclesia vetus, dixerunt eas esse veras Communicatione Idiomatum. Et ea recte definitur esse praedicatio, in qua proprietates vnus naturae dicitur de persona in concreto, vt significetur duas naturas in Christo esse vnitas vnione personali et inseparabili.³⁹

15 De hoc modo loquendi optime docet Theodoretus, accuratus refutator Eutychetis: „Oportet“, inquit, „scire, quod vnio facit nomina communia.“⁴⁰ Item „Nominum [14:] confusio non facit naturarum confusionem“⁴¹ et Vigilius: „Vnde constat diuinitatem humanitatis habere vocabulum.“⁴² Nazianzenus etiam inquit: „Nominum coniunctio facit errare haereticos.“⁴³ Quare statuen- 20
dum est firmiter Communicationem Idiomatum tantum esse dialecticam praedicationem et formam loquendi, non aliquam physicam impressionem, quae, vt optime dixit Philippus, est confusio naturarum.⁴⁴ Veteres in hac declaratione testati sunt non inuenire sese simile accommodatius, quam hoc est, quod sumitur a copulatione animae et corporis. Nemo dicit: „Anima est corpus“ et tamen de homine dicitur: „Homo videt, numerat, dormit.“ Hic nemo ita desipit, vt dicat Communicatione Idiomatum physica animam dormire aut corpus numerare, sed agnoscimus omnes modum loquendi. Ita hae propositiones: „Christus est passus“, „Christus est vbique“ neque diuinam naturam mortuam neque humanam in pluribus simul esse locis significant. Et quae

³³ Zur Person des Nestorius und des Paul von Samosata vgl. unsere Ausgabe, Nr. 1: Propositiones (1570), 37, Anm. 54; 33, Anm. 43.

³⁴ Zu Person des Eutyches vgl. unsere Ausgabe, Nr. 1: Propositiones (1570), 37, Anm. 55.

³⁵ I Petr 4,1.

³⁶ Sach 12,10.

³⁷ Joh 8,58.

³⁸ Röm 1,3.

³⁹ Vgl. Philipp Melanchthon, Loci theologici (1535), in: CR 21, 363.

⁴⁰ Theodoret, Eranistes III, in: PG 83, 277 (Ettlinger, 226,10f).

⁴¹ Theodoret, Eranistes III, in: PG 83, 277 (Ettlinger, 226,27f).

⁴² Vigilius Thapsensis, Contra Eutychetem IV, 5, in: PL 62, 121.

⁴³ Gregor von Nazianz, Oratio XXX. theologica quarta. De filio 8, in: PG 36, 113 (FC 22, 238,9f).

⁴⁴ Vgl. Philipp Melanchthon, Refutatio erroris Serueti (1559), in: MWA 6, 377.